



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Ambrosius Ep. 7. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

7. Dec. VITÆ SANCTORUM. 769  
do, ut videres non tam asperitatem vi-  
tae, quam delicias obesse. Obiit anno par-  
tae salutis cccc. l. Vitæ laudatorem ha-  
buit Hieronymum; imitatorem quem  
nunc. Ex D. Hier.

Beati qui in Domino vigilant cum sobrie-  
tate & castitate: protegentur enim ab eo in  
judicij die, & ut sponsi comites atque ami-  
ci cum gaudio & latitiâ eum sequentur &  
afficiant. S. Ephrem in Beatitud.

S. AMBROSIUS EP. 7. Decembris.

A M B R O S I I infantis osculum apes  
ajunt insedisse, verissimos ejus elo-  
quentiæ vates. Deprompsit sanè, cùm  
libuit, ore suo melos, & hoc adeò ip-  
sum Augustinum inescavit, ut qui à Ma-  
nicheis venenum hucusque hauserat, ex  
ore deinceps A M B R O S I I mel legeret.  
Episcopum Mediolani prodigiosus præ-  
co infans proclamavit. Dicenti ad po-  
pulum astare bonum Angelum ipsi hæ-  
retici viderunt & inviderunt. Inter hos  
multum illi negotii Arriani, plus Impe-  
ratrrix Iustina, latrones, magique, plu-  
rimum dæmon malus fecit, sed incas-  
sum omnes. Majestatis Pontificiæ me-  
mor, neque majestatem Imperatoriam  
exhorruit. Itaque Theodosium ob cæ-  
dem Thessalonicensem publicè reum  
non nisi post publica poenitentis animi

Ccc.

signa

770 VITÆ SANCTORUM. 8. Dec.  
signa templo pedem permisit inferre, illud Davidis exemplo se tuenti inclamans, Secutus es errantem, sequere pœnitentem. Vedit igitur tunc orbis caput suum ante pedes Episcopi jacere, numquam ita extollendum, nisi ita demissum fese. Porro AMBROSIUS obsecros ab orco libertati, infantem demortuum vitæ reddidit, Divorum multorum ossa è nebris in lucem gloriosâ pompâ transfluit, ipsius verò calumniatores morte subita vindicta Deus abstulit. Moriturum celesti voce excitus Honoratus Epis. facie pane refecit, morienti verò blandum aridere Christus viuis est, arrisurus etiam nobis in morte, si flentes in vitâ vident.

Ex Paulino.

Cùm diluculo surgimus, debemus, primum procedamus ex cubiculo, gratias agere Salvatori, & ante omnes actus facili, actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulio custodivit. Us enim ego securus dormiam, ille vigilat.

S. Ambr. serm. 43.

#### CONCEPTIO B. M. V.

8. Decembris.

Speculum sine macula ostendimus;  
VIRGINEM Conceptam. Festi hujus  
dici originem, quæ sub annum cœpit mil-  
lesimum ac septuagimum, sic habe-

Wilhel-